

eo qui voveret deferre vestes hujus potius quam illius coloris, non transendi per viam aliquam, etc. Attamen, si intentio voventis est pia et res ipsa, ex natura sua vel moribus receptis, conducere potest ad finem bonum attingendum, valebit votum. Exemplo sint qui vovent Romam pergere ad limina Apostolorum invisenda, infantes vestire colore caeruleo in honorem B. M. V. etc. (Ball. P. n. 33)

3º Invalidum est votum cui adjungitur finis malus tenens se *ex parte rei votae*, ex. gr. si quis voveret eleemosynam ut ex illius distributione laudaretur, ad impetrandum felicem successum in furto vel in gratiarum actionem pro tali successu. Sic enim ipsa res promissa dirigeretur in malum finem: quod contumeliam Deo inferret, quasi peccata promoveret. Validum vero est votum cui adjungatur finis malus tenens se tantum *ex parte voventis*, ex. gr. si quis voveret eleemosynam ad Dei gloriam, sed simul intendens ut ex actu vovendi inanem gloriam caperet. Nam sic res quam vovet manet bona, licet ipse male et cum peccato voveat. (S. Alph. n. 206)

4º Quando voto adjungitur condicio mala, ex. gr. voveo eleemosynam si ex duello incolumis evasero, videndum est utrum, ex intentione agentis, opus pravum sit finis voti an simplex condicio. Si prius, ex. gr. votum referendo ad felicem duelli successum, invalidum est, ut patet ex supra dictis; si posterius, ex. gr. votum referendo ad incolumitatem, quam, patrato duello, Deus largiatur, validum est: sic enim votum non cadit super rem malam, sed super bonam, nempe, patrato duello, evadere incolumem. (Bus. ap. S. Alph. l. c.)

5º Invalidum est et veniale peccatum vovere bonum quod est impeditivum boni majoris: quia sic ponitur obex Spiritui S. qui est boni propositi inspirator. (2. 2. q. 89. a. 7. ad. 2) Hoc tamen intellegendum est de opere bono quod directe opponatur meliori, et mutationem in melius impediat, ut esset votum manendi in saeculo: nam vix est opus bonum quod non impediat opus excellentius, eo sensu quod simul fieri nequeat. Insuper valeret votum rei quae, licet in se et absolute minus bonum sit, in concretis tamen adjunctis pro vovente majus foret, ex. gr. non suscipere sacros Ordines, si cui susceptio videretur damnosa fore. (S. Alph. n. 207)

Hinc patet regulariter nullum esse votum matrimonii ineundi: siquidem ordinarie melior est caelibatus. Attamen validum foret votum nubendi alicui personae quae sine injuria aut gravi infamatione, puta ob liberos ex ea susceptos, deserere non posset. Ubi vero votum de matrimoniali statu ineundo emitteretur ad finem imponendum multis peccatis, quae ex insita fragilitate et prava consuetudine orta sint, controvertitur inter AA. num hujusmodi votum valeat. Cfr. S. Alph. l. 4. n. 209; l. 6. n. 75. Quoad rem tamen et praxim satis concordare videntur AA. Nam fere omnes consentiunt voventem fore obligatum ad hoc remedium

matrimonii adhibendum, quatenus alio *perfectiore* uti nolit. Ideo dicendum cum Lessio (de Just. et J. l. 2. c. 40. n. 44) votum illud non valere absolute, sed tantum ex suppositione quod vovens nolit alia remedia adversus carnis tentationes adhibere. Si enim alia remedia adhibere velit, jam cessabit illius voti vinculum: quia jam voventi melius erit non ducere uxorem.

6º Valet votum de re jam aliunde praecepta, quia est de re meliori libere praestanda, nec quidquam impedit quominus vinculo e praecepto oriundo aliud e virtute religionis addatur. (2. 2. q. 88. a. 2) Patet e voto religiosae castitatis, quod cadit etiam in materiam praeceptam hujus virtutis.

§ 4. DE OBLIGATIONE VOTI.

317. I. Mensura obligationis e voto oriundae est *rationabilis voluntas voventis*.

Votum enim est quasi lex quam sibi vovens imponit: nam libere facit Deo illam promissionem, quam lex naturalis servandam praecipit. Sicut nullam obligationem assumere potest, ita non impeditur quominus, etiam in materia gravi, sub levi tantum se obliget: quod ut faciant plerique poenitentes, a confessario suadendum est. Sed manifeste opus est ut voluntas voventis rationabilis sit (n. 106): quare in materia levi nequit se sub gravi obligare, puta ad recitandum semel "Salve Regina" ad vitandum peccatum leve, etc.

Igitur si quis, dum votum emit, determinavit utrum sub gravi an sub levi se obligare intenderet, huic determinationi standum erit, nisi quis erronee intendisset se obligare sub gravi ad rem omnino levem.

II. Quando vovens de quantitate obligationis determinanda non cogitavit, haec erit definienda e gravitate vel levitate materiae, cui se accommodasse censenda est ejus intentio.

Gravis autem censetur ea materia quae, ubi praecepto ecclesiastico imponitur, gravem obligationem inducit, ut Missae auditio, communio, rosarii recitatio; et a fortiori, quae majorem laborem imponit, ut sat longinqua peregrinatio; in votis autem realibus, plerumque censebitur gravis materia quae, si ex justitia debita foret, talis censeretur. (Lehmk. I. n. 446) Ceterum in dubio levis habeatur, si quidem non tanto rigore exigenda sunt gratuito promissa.

Aegre determinatur quandonam plures materiae leves in gravem coalescant. Imprimis sedulo investiganda est voventis intentio. Deinde notandum generatim non coalescere materias quae, ex intentione

voventis, affixae sunt singulis diebus, ut plerumque contingit in votis personalibus; coalescere vero, si promissio plurium levium materialium facta sit per modum unius, et dies assignatus non ad finiendam obligationem, sed ne differatur executio. Sic qui promisit singulis diebus recitare "Salve Regina", leviter peccaret, etiamsi per totum annum id omitteret; qui promisit singulis diebus dare parvam eleemosynam, graviter peccaret, eam per annum omittendo. (S. Alph. n. 212)

318. III. Votum, utpote **actus pure personalis**, obligat solum voventem, neque potest alium obligare propria religionis et fidelitatis ad Deum obligatione. (Suar. tr. 6. l. 4. c. 9. n. 2) Si quis ergo vovet factum alterius, nihil aliud intendere potest quam ut hoc factum procuret eo modo quo licite valet. Sic parentes qui filium devovent religioni (ut olim fiebat) ad nihil aliud tenentur quam ut contentur eam filio persuadere; qui vero Missas celebrandas vel peregrinationem ab alio instituendam vovit, non tenetur alterum substituere novis sumptibus, si prior non praestet ad quod se obligavit. (S. Alph. n. 216)

Heres tamen tenetur ad solvenda vota realia defuncti, non directe vi voti, sed quia, accipiendo hereditatem, succedit in onera non minus quam in jura defuncti: ideo haec obligatio non est religionis, sed justitiae, saltem erga defunctum. (S. Alph. n. 213 seqq.)

Ubi votum aliquod perpetuum a communitate factum est, ex. gr. jejunii quadam die servandi, id certe obligat posteros; de natura autem et immediata origine hujus obligationis in posteris, controvertitur. Probabilius est obligatio ex virtute religionis. Nam magistratus, tamquam caput communitatis, potest eam ligare voto, sicut et aliis pactis, ita ut obligatio ad posteros transeat: quia ex natura communitatis oritur quod membra capiti se conformare debent oboediendo, oboedientia autem transfert obligationem ad genus virtutis, cujus intuitu indicitur. Habetur ergo in posteris obligatio ad acceptandum votum majorum cum vinculo religionis. (Ball. P. n. 51)

319. IV. De ratione qua implenda sint vota fere valent ea quae (n. 109) statuta sunt de ratione satisfaciendi obligationi legis. Ideo vota personalia nequeunt impleri nisi per ipsum voventem; votis vero realibus satisfit etiamsi ab alio detur pro vovente id quod promissum sit vel res quae ad eundem finem sit prorsus aequivalens, ex. gr. calix prorsus similis promisso vel melior. (Ball. P. n. 53 seqq.)

V. Vota condicionalia non obligant donec specificè impleta sit condicio, neque generatim sufficit ut aequivalenter impleatur, puta si, postquam frater vovit ingredi religionem si soror nupserit, ipsa moria-

tur. Sed potissimum inspicendum est quaenam fuerit intentio voventis. Quodsi ipse vovens quocumque modo, sive licito, sive illicito, impedit ne existat condicio sub qua voverit, puta si parentes non contradixerint, probabilius nulla est obligatio voti implendi: quippe quae a condicione tota pendet. (S. Alph. n. 128)

320. VI. Qui vovit **rem certam et determinatam**, ex. gr. hunc calicem, si ea res pereat, non tenetur ad aliam, cum id non soleat intendi; sin autem rem vendiderit, dandum est pretium, si intentio ferebatur in aliquod donum tribuendum, quod deinde in ea re determinatum fuerit; ubi vero res promissa habebat specialem omnino usum, ex. gr. mitra pulcherrima quae vovetur ut episcopus ea utatur in sollemnitate quadam, probabile est cessare obligationem. (Ball. P. n. 60)

VII. Quando votum est **adimplendum certo die**, regulariter, transacto tempore statuto, cessat obligatio voti, etiamsi culpabiliter neglectum fuit; pariter si praevideatur impedimentum, non est obligatio praeveniendi. Attamen videndum num forte dies tantum statutus fuerit ad urgendam obligationem: quod praesertim patebit ex intentione voventis, ex causa ob quam votum elicatum est, etc. Ita manebit obligatio jejunii voti in gratiarum actionem; non permanebit votum accendendi candelas in certa sollemnitate, si haec jam elapsa est. (S. Alph. n. 220; Ball. P. n. 61)

321. VIII. Quando votum **sine temporis determinatione** elicatum est, implendum est tantum cum primum commode potest: quia sic moraliter quisque censetur intellegere suam promissionem, ut, habita commoditate, non nimis diu differat. (Alph. n. 221)

Quando autem dilatio, absque causa rationabili facta, gravem culpam constituat, non ita patet. Probabile videtur in votis talibus ut dilatio nullam materiae diminutionem afferat, puta in voto piaie peregrinationis, non committi grave peccatum, nisi differens praevideat e mora oriturum periculum oblivionis vel impotentiae implendi. (Ball. P. n. 63) Sed si res promissa per ipsam moram imminuitur, ut fit in voto ingrediendi religionem, mortalis est dilatio qua notabiliter minuatur tempus quo Deo serviendum sit. Haec autem imminutio facilius erit notabilis in eo qui jam senex vovet quam in juvene. Speciatim quoad votum ingrediendi religionem, inspicendum est quomodo soleat communiter propositum talis ingressus accipi et executioni mandari. Jamvero, ut advertit Ball. P. (n. 66): "Ille solum censetur deesse proposito, qui nullam causam habet cur differat; non autem qui opportunum tempus eligit pro fine quem proponere sibi potuit."

IX. Qui vovit aliquid **sine certa quantitate**, ex. gr. eleemosynam, satisfacit dando quantum voluerit, modo non tam parum ut videatur potius irridere suum votum quam implere. Ratio petitur ex intentione voventis, qua nemo censetur se obligare nisi ad id quod commode potest dare et communiter est decens. (Bus. ap. S. Alph. n. 222)

§ 5. DE CESSATIONE OBLIGATIONIS VOTI AB INTRINSECO.

322. I. Obligatio voti cessare potest dupliciter: interventu alicujus auctoritatis humanae, seu ab extrinseco, per irritationem, commutationem vel dispensationem, de quibus in sequentibus paragraphis dicitur; absque ullius auctoritatis interventu, seu ab intrinseco. Hoc autem contingit:

1^o **Mutatione materiae**, quae fiat *turpis*, ex. gr. si post votum religionis, parentes cadant in gravem necessitatem, vel si eleemosyna ex voto promissa deserviat ad ebrietatem accipientis; — vel *inutilis* aut *indifferens*, ex. gr. votum subveniendi necessitati quae cessat; — vel *impeditiva majoris boni*, ratione novae circumstantiae, ex. gr. si voveris peregrinationem quae impediat ne peste infectis inservias, aut ratione prohibitionis, ut si, post idem votum, episcopus sacerdotem jubeat parociae curam suscipere; — vel *impossibilis*, ex. gr. votum donationis si vovens in paupertatem decidat.

2^o **Cessante condicione a qua pendet**, ut si vovisti orationes quamdiu valebis, et incipis aegrotare. (Ball. P. n. 76)

Ratio patet ex supradictis (n. 315 seqq.): nam obligatio exstinguitur si in eum casum incidat a quo incipere non possit.

323. II. *Si materia voti fit impossibilis*, etiamsi id culpa voventis contingit, obligatio voti vel totaliter cessat, si haec impotentia est perpetua, vel suspenditur donec iterum possibilis fiat. Id etiam intelligendum de morali impossibilitate seu magna difficultate quae, ob mutationem aliquam, voti executioni accedit. Ex. gr. si quis, post promissam peregrinationem Romanam, pauper fit ita ut jam viae ferreae expensas solvere commode nequeat, non tenetur ire pedester. Et universe ponit S. Alph. (n. 226) hanc regulam, allegata auctoritate S. Thomae (in 4. d. 38. q. 1. a. 3): “ Id liberare a voti vel juramenti obligatione quod, si a principio notum fuisset, ea fieri impedivisset. ” Id enim commune est voto cum reliquis promissionibus.

III. *Si materia voti fit impossibilis tantum quoad partem*, cessat vel suspenditur tota obligatio, si materia talis est ut dividi nequeat vel non

soleat, vel si constaret intentionem voventis fuisse ut se tantum ad rem totam obligaret. Exempla habes in eo qui vovet aedificare ecclesiam vel organum magnificentissimum. Extra duplicem illum casum, manet obligatio ad partem quae non fit impossibilis. Ex. gr. qui vovit jejunare tota hebdomada, et non potest nisi duobus diebus, ad hoc tenetur; qui vovit peregrinationem nudis pedibus, si hoc modo nequit, tenetur alio. Attamen, si in voto “ unum est principale, reliqua vero accessoria tantum, non per se seorsim intenta, sed dependenter a priori, tamquam illius appendices et modi, tunc, si principale fiat impossibile, ruit etiam obligatio accessorii, non autem contra, ut ex. gr. peregrinationem Romam in cilicio et ibi certi aliquid offerre; si peregrinatio impossibilis fiat, non teneris cilicium ferre et oblationem mittere. ” (Bus. ap. S. Alph. n. 225)

§ 6. DE IRRITATIONE VOTI.

324. NOTIONES. Irritatio voti definiri potest: voti annullatio vel suspensio facta ab eo cujus potestati subest voluntas voventis aut materia voti. (Gury, I. n. 329)

Hac definitione indicatur duplex irritationis species: *directae* et *indirectae*. Directa fit ab eo cujus potestati subest *voluntas voventis* ita ut firmiter vovere nequeat nisi cum implicita condicione quod superior, ex. gr. pater vel praelatus, consenserit aut saltem non repugnaverit. Vocatur hoc nomine quia directe fertur in ipsum actum vovendi, quem reddit prorsus nullum, adeo ut numquam reviviscat. Indirecta fit ab eo cujus potestati subest tantum *materia voti*, eo quod ab ejus voluntate pendet eam reddere inhonestam aut impossibilem, ex. gr. per prohibitionem: haec non est nisi irritatio secundum quid seu suspensio voti, quod proinde per se incipit obligare quamprimum ablatum est impedimentum. Vocatur hoc nomine quia non cadit directe in actum vovendi, sed huic subtrahit materiam quam reddit incapacem obligationis.

325. ASSERTA. I. **Directe irritare** potest omnia subditi vota is qui habet potestatem dominativam in alterius voluntatem; haec irritatio semper est valida et, si fit ex causa rationabili, etiam licita. Potestatem illam alii (S. Alph. n. 227) ex jure naturali repetunt, quasi sponte fluat e dominio quod in alterius voluntatem obtinetur; probabilius alii (Bus. ib.) censent eam jure naturae suaderi tantum, minime vero formaliter constitui, quia dependentia filiorum a parentibus, religiosorum a praelatis, etc., omnino stare potest cum eorum facultate vovendi, dummodo salva sit potestas irritandi indirecta.

Jamvero, saltem ex positivo jure, hac potestate pollent :

1° Pater in omnia vota liberorum suorum impuberum ; impubertas autem, secundum jus ecclesiasticum, finitur in masculis anno 14° completo, in feminis completo 12°. Cfr. Decr. Grat, caus. 32. q. 2. c. 14. et l. 3. Decr. tit. 31. c. 2. Eadem potestas competit, defectu patris, avo paterno vel tutore ; matri autem probabiliter, etiam praesente, sed non contradicente patre. (S. Alph. n. 230) Exerceri potest etiam in illa vota quae liberi impuberes emisissent, et jam puberes ratificaverint, quia ex errore ea firma esse putaverint ; minime vero in ea quae ratificaverint scientes esse infirma et independentem a prioribus. (S. Alph. n. 238 ; Ball. P. n. 119 seqq.)

2° Superiores religiosorum, immo probabiliter et Superiorissae monialium, in omnia vota quae a subditis emittuntur, postquam se eorum potestati dominativae, saltem per vota simplicia, subjecerint. Excipiuntur vota sive sollemnia, sive simplicia, quae professionem religiosam constituunt vel e constitutionibus quorundam Ordinum comitantur ; insuper votum transeundi ad religionem strictiorem. (l. 3. Decr. tit. 31. c. 18)

3° Probabiliter (S. Alph. n. 234) maritus in omnia vota uxoris, durante matrimonio emissa. Verius tamen censemus marito competere solam potestatem indirectam in vota uxoris : quia nullo textu Juris probatur directa. Frustra citatur a multis locus e V. T. (Num. XXX, 7) : nam, etiamsi inde constaret hanc potestatem competiisse marito sub V. T., certe haec dispositio, utpote caerimonialis, abolita est. (Lessius, l. 2. c. 40. n. 89)

Hi omnes hac potestate sua valide uti possunt, etiam postquam jam positive consenserunt : eo quod non se privarunt dominio et potestate sua. Quodsi id facerent sine causa rationabili, leviter quidem peccarent ; de gravi autem non constat (S. Alph. n. 239), nisi id fiat in odium religionis vel ob aliud motivum graviter malum.

326. II. Indirecte irritare votum possunt ii quorum juri praejudicatur, sive quia vovens disponit de re temporali in quam alter jus habet, sive quia res promissa impediret ne jam praesto esset subditus justis Superioris praeceptis exsequendis. Patet ex jure naturali, quod non sinit fieri promissionem in praejudicium tertii. (S. Alph. n. 241) Igitur id possunt :

1° Pater in vota filiorum suorum puberum, quamdiu manent in domo paterna nec sunt emancipati, quatenus horum vota paternae potestati officiant.

2° Uxor in vota mariti, etiam ante matrimonium facta, quatenus haec praejudicant vitae sociali et usui domini quod habet in corpus mariti.

3° Dominus et domina respectu famulorum, ut si ii voverint jejunium vel prolixas orationes, quibus fierint impares adimplendis officiis ad quae se, operas suas locando, adstrinxerint. (S. Alph. n. 242)

4° Superiores vel Superiorissae in omnia vota noviciorum, quatenus noviciatus exercitia et debitam rationem impediunt. Similiter dicendum de Superiore Collegii respectu alumnorum. (Ball. P. n. 133)

Hi omnes (pariter atque in irritatione directa) hanc potestatem exercere possunt etiam in vota quae ipsi eorumve antecessores jam approbassent. Excipitur communiter nisi : " suo jure (Superior) cessisset et hanc concessionem subditus acceptasset, ut v. gr. in voto castitatis, mutuo mariti et uxoris consensu facto. " (Bus. apud S. Alph. n. 242) Attamen hanc applicationem conjugibus qui mutuo consensu castitatem vovissent jam S. Alph. (n. 239) sat infirma ratione niti significavit ; Ball. P. autem (n. 137 seqq.) fuse impugnavit. Absolute igitur loquendo (quamvis ad praxim non faciat), posset uxor petere a marito ut potestate sua *directa* utatur ad infirmandum uxoris votum, quoposito, et ipsa *indirecte* votum mariti irritare posset.

§ 7. DE DISPENSATIONE VOTI.

327. NOTIONES. Dispensatio voti est absoluta obligationis voti condonatio, nomine Dei facta. (S. Alph. n. 250) Haec semper datur e speciali potestate a Deo concessa, seu ex illa auctoritate quam Christus in Ecclesia vigere voluit ad publicum istius regimen ; supponit ergo in dispensante veram jurisdictionem. Nequit autem exerceri nisi in volentem : nam, si quis invitatus est quominus dispensetur, aequivalenter iterum sibi votum imponit. Patet, ex supra dictis, in irritatione voti nec jurisdictionem in irritante, nec consensum voventis requiri.

328. ASSERTA. I. Ad dispensationis valorem requiritur **justa causa**, cum fiat in lege superioris. (n. 118) Causae autem sufficientes censentur (S. Alph. n. 252 seqq.) :

1° Bonum Ecclesiae, rei publicae vel familiae ; item major profectus voventis.

2° Notabilis difficultas, etiam praevisa, in executione voti ; cui aequiperantur periculum transgressionis ob indispositionem particularem voventis, vel ob communem fragilitatem hominum, et magni scrupuli vel frequentia dubia voventis.

3° Imperfectio actus, vel levitas ac facilitas ex qua processit votum, ex. gr. emissum ab impubere vel instante metu naufragii.

Quodsi causa non videatur sufficiens, admisceatur aliqua commutatio.